

discursu intelliget. Quicumque animaduertit ea, quae intus in animo fiunt, nequit istius ignarus esse, sine uero istiusmodi animaduersione haec uocabula omnia efficere possunt, ut notionem istius habeat. (i)

§. IV.

Reflexionem, actum mentis seu intellectus data Genus et definitione appellauimus. Habet enim mens inter sedes redum se mere passive et ideas sibi imprimi, imo insciae flexionis. interdum et inuitae sibi imprimi patitur; ita uel primus idearum impulsus, qui per sensus contingit, meram intellectus passionem arguit; Quin et ad passionem ipsam in reflexione referendum illud, quod, dum cogitemus, conscii nostrae huius cogitationis, ex ipso interiore illius sensu et immediata praesentia, reddimur. Verum ubi mens ipsa ad ideas suas postea conuertitur, easdem cum principio cognoscendi contendit, a se inuicem seiungit, componit, addendo uel demendo alterat, ad iudicia formanda applicat, et uario, atque fere inexplicabili modo tractat et uersat, tunc profecto mens, quandoquidem motus huius qualiscunque principium est, (qua in re natura actionis recte ponitur) se actiue, ut loqui amant Philosophi, habet. Falsus est IOH. CLERICVS, (k) qui secutus CARTESIVM, GRANDIVM, aliosque similes, omnem agendi facultatem intellectui nostro abiudicat, eumque, oculo similem uel speculo, solum recipere et percipere ideas, adeoque quicquid in eo contingat, passionem esse contendit. (l) Sedem ergo reflexionis non in uoluntate,

(i) De intellectu Hum. L. II. c. IX. conf. cap. VI.

(k) Pneumatol. sect. I. c. 3. §. 4. et alias.

(l) Conf. GERH. L. cit. L. 1. c. 4. nec non ipse PHIL. MELANCHTH. in elegantia, de anima, Libello p. m. 133.